Ludowicus dei gratia Romanorum rex semper augustus universis sacri Romani imperii fidelibus in perpetuum. Ex parte dilectorum fidelium
nostrorum hominum vallis et terre Underwalden communitatis eiusdem nostre extitit celsitudini supplicatum, ut privilegia ipsorum nostrorum divorum imperatorum et
regum Romanorum illustrium predecessorum que inferius annotata sunt dignaremur de benignitate regia confirmare, quorum tenor de verbo ad
verbum dinoscitur esse talis. Fridericus dei gratia Romanorum imperator semper augustus Jerusalem et Sicilie rex. Universis hominibus vallis in
Underwalden fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Litteris et nunciis ex parte vestra receptis et vestra ad nos conversione et devotione assumpta
expertis et cognitis per eosdem vestre pure voluntati affectu favorabili concurrimus et benigno devotionem et fidem vestram commendantes
non modicum de eo quod zelum quem semper ad nos et imperium habuistis per effectum operis ostendistis, sub alas nostras et imperii sicut tenebamini
confugiendo tamquam homines liberi qui solum ad nos et imperium respectum debebatis habere. Ex quo igitur sponte nostrum et imperii dominium elegistis
fidem vestram paternis brachiis amplexamur favoris et benivolencie puritatem vobis sinceris affectibus exhibemus, recipientes vos sub
nostra speciali et imperii protectione, ita quod nullo tempore vos a nostris et imperii dominio et manibus alienari vel extrahi permittemus. Dantes
vobis certitudinem quod plenitudinem gratie et favoris quam benignus dominus effundere debet ad subditos et fideles vos gaudeatis in
omnibus assecutos dum in nostra fidelitate et servitiis maneatis. Datum in obsidione Faventie. Anno domini millesimo ducentesimo quadragesimo mense decembri
XIIII indictione. Item Rudolfus dei gratia Romanorum rex semper augustus prudentibus viris universis hominibus vallis in Under
walden libere conditionis existentibus dilectis suis fidelibus gratiam suam et omne bonum. Inconveniens nostra reputat celsitudo ut aliquis
servilis conditionis existens preiudicet vobis dictis ipso quod auctoritate regia volumus ut nullus hominum qui servilis conditionis extiterint
de vobis de cetero iudicia locato aliquid exercere. Presentium testimonio quas nostre maiestatis sigillo iussimus communiri. Datum Baden anno
domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo regni vero nostri XVIII. Item Henricus dei gratia Romanorum rex semper augustus universis
hominibus vallis in Underwalden fidelibus suis dilectis gratiam suam et omne bonum. Vestris inquietudinibus obviare commoditatibus quo prospicere
favorabiliter cupientes dum tamen de vobis querulantibus iusticie debitum non negetur, vobis presentes concedimus graciose quod ad nullius iudi
cis secularis tribunal nostre maiestatis consistorio dumtaxat excepto super quibuscumque causis seu negotiis extra terminos vallis predicte
pertrahi debeatis, dummodo coram advocato nostro provinciali intra fines eiusdem vallis parati sitis stare et facere quod dictaverit
ordo iuris. Datum Constantie anno domini millesimo trecentesimo IX III nonas Junii indictione VII regni vero nostri anno primo. Nos
igitur tam devotis predictorum hominum in Underwalden supplicationibus quam fervore fidei et puritatis constantia qua erga nos et imperium dicuntur claru
isse nostri favoris gratia multiplici inclinati dicta privilegia et ipsorum tenorem de verbo ad verbum iuxta ipsorum petitionem approbamus confirmamus
et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre approbationis confirmationis et communi
tionis paginam infringere vel ei in aliquo ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit se nostre indigna
tionis aculeum noverit incursurum. Datum in obsidione opidi Hetriden IIII kalendas Aprilis anno domini millesimo trecentesimo sexto
decimo regni vero nostri anno secundo.